

A. D. O. M.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

Alimentorum & Morum Nexu,

Quam

*Consensu Amplissimi Senatus Philosophici in Reg.
Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

Mag. JOHANNÉ BILMARK,

Historiar. ac Philosoph. Pract. Professore Reg. & Ord.

PRO GRADU

Publicæ censuræ osfert

HENRICUS DEUTSCH,

Stip. Reg. Bor. Fennø,

IN AUDITORIO MAJORI D. VI MAJI MDCCXCV,

H. A. M. S.

ABOÆ,

Typis FRENCKELLIANIS.

S:æ R:æ M:tis
Spectatæ Fidæi Viro
Amplissimo atque Experientissimo
Domino Doctori

JOSEPHO PIPPING,

Medicinæ Professore Regio & Extraordinario,

nec non

ad

Legionem Velitum Ditionis Aboënsis


Chirurgo Primario,

Patrono Benignissimo,

*Hanc venerabundi & grati animi tesseram consecratam
voluit, debuit*

Amplissimi Nominis Tui

Cultor Devotissimus
HENRICUS DEUTSCH.



PRÆFATIO.

Quum nemini mortalium ea adhuc contigerit perspicacia, ut modum, quo in se agunt corpora, distincte explicare posset; quis, quæso miretur, si indoles commercii, animæ cum corpore, enti immateriali cum materiali, intercedentis, humanam eludat sagacitatem? Extra omnem tamen dubitationis aleam est positum, quod partes hæ hominis essentielles intimum inter se habeant nexum, & ex mutuæ societatis contubernio altera in alterius conditionis sensum veniat. Docet enim quotidiana experientia, cum quod, corpore sano ac vegeto, anima in eodem veluti in grato quodam et sibi commodo palatio ovet, homoque in officiis tam perspicendis, quam eisdem ope membrorum corporis præstandis facilitatem & alacritatem experiatur, tum etiam anima per incidentem forte casum ægritudine affecta, homo & consilii expers & in negotiis suis, urgente licet necessitate pressus, iners evadat. Vicissim, si corpus nostrum morbo laboret, idem animæ fit quasi epidemicus, pariens dolorem, & proposito & hujus præstationi adversum. Quod tamen eo usque non valet, ut cum quibusdam Eruditis assereremus, per solam corporis constitutionem vitiorum

labem in animam illabi (a); probe gnari, hominum ad mala proclivitatem ex alio arcesendam esse principio. Cæterum quum corporis nostri constitutio multum dependeat ab eis, quibus fruimur alimentis; vel ex eis, quæ generaliter dicta sunt, colligi potest, quod hæc etiam certo modo in actiones nostras morales influant. Quod quum uberius in hac dissertatione explicare constituerimus, operæ pretium nos fecisse existimabimus, si juveniles conatus Benevolo Lectori non displicuerint.

(a) vid. *J. Fr. Buddei Dissert. III. de Erroribus Stoicorum in Philosophia morali.*

§. I.

Quamvis verba in rubro dissertationis nostræ occurrentia, sint satis plana & perspicua; juvat tamen in majorem dicendorum evidentiam eadem aliquantum explicare. Per *alimenta* igitur intelligimus quævis ciborum ac potuum genera, nutritioni ac conservationi corporis nostri inservientia. *Mores* autem, ex communi loquendi usu, sunt consuetudines in vita passim receptæ, vel propius, regulæ illæ vivendi, quas homines in eis observant actionibus, de quarum moralitate lex naturalis nihil certi disponit. Valet igitur de *moribus* effatum CORNELII NEPOTIS: *Non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari* (a). Prout vero *mores* felicitati nostræ & honestati vel convenire vel adversari putantur, *boni* vel *mali* appellantur; unde apparet, inter *mores* ac *virtutes* hoc intercedere discrimen, quod *illi* opinione hominum nobiscum viventium, hæc autem sanæ rationis dictamine nitantur, &, quum opinio rationi non semper retrahetur, fieri posse, ut *boni* *mores* ac *virtutes* eodem loco habeantur. Huc pertinet sequens *morum*
de-

descriptio: *Qu'est ce que les bonnes moeurs? C'est une conduite réglée sur la connoissance & l'amour de la vertu (b).* Nexum autem alimentorum & morum probaturi, non hoc contendimus, eam esse inter utrosque staticam, ut mores pro quovis assumpto jusculo variarent, sed quod certa alimentorum genera, quibus homines communiter fruuntur, humores primum ac sanguinem eorum, et hi deinde animum ita afficiant, ut ex hac causa in bonos vel pravos propendeant mores. Absonum enim foret, si quis in suum induceret animum, hominem, carnem ferocis cujusdam animalis comedentem, parem contracturum indolem, quæ isti animali censetur propria, vel specialius, carne suilla vescentem, in sorditiem propterea pronum futurum.

(a) *In præfatione libri de vita excell. imper. (b) vid. Libri, les Moeurs inscripti, discours préliminaire, p. XVI.*

§. II.

Corporibus vivis alimenta concedens benignissimum Numen, conservationis eorum curam luculenter declaravit; quam homines præcipue experiuntur. Quæ enim nos ambiunt elementa, aër, ignis, &c. in corpus nostrum continuo agunt, & accedente ventriculi atque intestinorum actione, particulas quasdam velut abratas per excretionum vias & transpirationem insensilem e corpore eji-
ciunt; quarum jactura nisi novis in locum amissarum convenienti modo resarciretur particulis, cum quovis corpore vivo intra breve temporis spatium actum foret. Domestica autem quemvis docet experientia, non alium dari modum, amissas corporis partes restituendi præter cibi potusque sumtionem, qui per os ventriculo ingesti, per hujus ac intestinorum actionem, sine nostra accedente industria, in talem resolvuntur materiam, ex qua singulæ

corporis partes ita augmentur, ut ubivis in locum ejus, quod decessit, sensim succedat ipsi simile, & quidem sine ullius incommodi sensu. Imo dubium est, an voluptas quædam sensualis detur ea major, quam ille experitur, cujus fames ac sitis per idonea levatur alimenta. Hæc rursus pro diverso, quo intra ventriculum digesta sunt modo, humores & sanguinem cum quibus miscentur, adeoque ipsam corporis constitutionem varie afficiunt, vel sanitatem promoventia vel eam turbantia. Si sanum sit corpus, cernere licet, quod gratus ille sensus, quo anima & corpus, ob vigorem vitæ, afficiuntur, in actionibus & officiis præstandis se prodat; quum homo, sanitate fruens, plerumque sit hilaris, in alios facilis ac benignus, in adversis animum subito non despondens, imminentibus quippe malis vel submovendis vel ferendis se parem sentiens. Contra ea corpore per alimentorum vel defectum vel ineptitudinem quasi dejecto, homo sibi aliisque plerumque est oneri, quippe cui ob desideratum robur omnia sunt molesta, cunctaque metuens, spe melioris conditionis aliquando obtinendæ se erigere nequit,

§. III.

Considerari possunt alimenta ratione tam suæ qualitatis, seu indolis, respectu nostri corporis, quam quantitatis, seu majoris vel minoris copię quavis vice assumptæ, quo utroque intuitu in mores diverso influunt modo. Quocirca in antecessum erit observandum, quod licet singulæ res creatæ utique sint bonæ, quum tamen in eis producendis finem non eundem intenderit summus Deus, nec omnes, quæ in nostrum victum utcumque possunt adhiberi, constitutioni corporis ac status felicitati pariter conveniant. Nonnullas enim res in nostrum alimentum
pe-



peculiariter esse destinatas, earum sapor, odor, facilis in ventri concoctio, & corporis resectio, satis comprobant; dum aliæ, quas venter difficulter digerit, multas relinquunt cruditates, faciuntque, ut homo non tam vivat quam vitam trahat; ex quo diverso victus genere varii quoque existunt mores. Docet enim experientia, quod si quis vel penuria coactus, vel avaritia ductus, duris victitet cibus, in morositatem & invidiam propendeat, ab indigestis alimentis & hinc orta humorum acrimonia eo certius repetendam, quod idem homo, mutato victus genere, caperatam frontem explicet, de pristino morum rigore sensum remittat, & humanitatis assuescat officii. Ferocem Spartanorum indolem nemo ignorat, nec negari forte potest, hanc qua partem a duro victus genere, & a communibus, quibus singuli cives publice utebantur, dapibus, inter quas eminuit *jusculum* eorum *nigrum*, aliis gentibus nauseam movens, sed ab incultis Spartanis inter lautitias relatum, esse deducendam. Imo quantum ad indolem non hominum modo, sed aliorum quoque animalium formandam valeat victus qualitas, LYCURGUS suis ostensus civibus, duos catulos ex eadem femella genitos, diversimode alendos curavit, alterum coctis cibus, alterum crudis occisarum ferarum visceribus; quorum in foro dimissorum ille in ollam, hic in conspectum leporem iruebat.

§. IV.

Quod inter alimenta & mores detur nexus, ex institutis quoque populi Israëlitiçi intelligitur, quem sicut Deus peculiariter dilexit, ita inter alias prærogativas ei leges dedit cibarias respectu alimentorum, ex regno animali petendorum. Rationem dari objectivam quorundam ciborum Israëlitis interdictorum, nemo forte negabit; quæ quo-

quoties ex sanitate conservanda peti non potest, præsumere licet, moralem & ad emendationem vitæ populi Israëliti tendentem, talibus victus regulis inesse. De qua re satis convincimur verbis instituti Divini: *Vos, Israëlitas alloquitur, discernetis inter animal mundum & immundum, & inter avem mundam & immundam (a), neque abominandas efficietis animas vestras ullo animali, aut ulla ave, aut ullo quod premit terram, quæ discrevi vobis, ut immunda habeatis; — — sed eritis mihi sancti, quia Ego sum Jehova, qui discrevi vos a reliquis populis, ut sitis mei. Levit XX, 25. 26* Quocirca concipi non potest, quo modo per esum carniū quorundam animalium, Israëlitarum animæ Deo fierent abominabiles, & a sanctitate morum præcepta recederent, nisi alimenta in corporum dispositionem & hinc in mores aliquem haberent influxum. Ad specialia descendere non licet; observabimus carnem suillam, Judæis prohibitam & eo fastidio ab illis habitam, ut mortem potius subirent, quam eam comederent, sanitati corporis nostri ex Medicorum observationibus haud officere; nec nobis facile persuademus, ipsum, quod prætendi solet, clima reddidisse usum hujus carnis noxium, quum aliæ nationes in vicinia Palæstinæ habitantes, sives a Judæis, qui magnos earum pascerent greges, emtas, in suum alimentum sine periculo morborum converterint. Superest igitur, ut credamus, Deum sapientissimum propter rationes morales, nobis impervestigabiles, esum quarundam carniū Israëlitis prohibuisse. Existimat quidem illustris MICHAELIS, rationem interdicti modo nominati fuisse ex præcipua parte politicam, eo tendentem, ut Israëlita a vicinarum gentium consortione ac pravis moribus, qui per convivia frequenter & incipiunt & continuantur, distraherentur (b); quam vero causam minus putamus idoneam, quum copia aliarum car-

earnium, præter immundas habitas, conviviis instruendis suppeteret. Addere licet, ad peregrinos in Palæstina sedes habentes, interdictum non pertinuisse, eos autem ad eandem morum sanctitatem, ac Iſræelitas, per expressam legem nec fuisse obstrictos. Specialissime efus sanguinis & crudæ carnis, Iſræelitis fuit ita interdictus, ut *his vescens ex populo Dei exterminaretur*, *Levit. XVII. 10.* Quocirca quisque, vel me non monente, intelligit, sermonem heie esse de sanguine crudo, non de cocto; cujus interdicti ratio moralis videtur plana; sicut enim sensus, qui nobis inest moralis, facit, ut ad aliorum læsiones, inprimis ad accepta vulnera dolore afficiamur; ita qui cruorem bibere ac crudas comedere carnes non exhorrescit, ejus sensus moralis, qui morum est principium non ultimum, ita occalluit, ut ad aliorum mala vix commoveatur; sævus igitur & crudelis evadit, eos negligens mores, qui *Φιλανθρωπία* nituntur. Quanto magis boni periclitantur mores, si sanguinis efus in cultu Divino adhibeatur (c)?

- (a) Distinctionem animalium in *munda & immunda* ita explicat illustr. MICHAELIS, ut illorum carnibus vesci liceret, horum non. vid. *Libr. Mosaisches Recht, Tom. IV. pag. 178. seq.* Attramen neque hinc, neque ex characteribus externis distinctivis, *Levit. XI. 3. 4.* occurrentibus, ratio appellationis plana erui potest. (b), vid. *Libr. modo cit. p. m. 190.* (c) vid. *Libr. cit. p. m. 216. Das Bluttrinken ist gewiss keine schikliche Ceremonie des Gottes-Dienstes. Eine sanfte Sitte ist es nicht, und könnte vielleicht, oft wiederholt, ein Volk zur Grausamkeit gewöhnen, und gegen Blut unempfindlich machen; eine solche Erziehung soll die Religion den Sitten des Volks nicht geben, ja nicht einmal den Anschein haben sie zu geben.*

§. V.

Mittamus Israélitas, & alios adeamus populos, viseri, an in his quædam occurrant indicia nexus, alimentis cum moribus eorum intercedentis. Memoriae certe produnt peregrinatores, quasdam inveniri gentes, ab omni victus cultu adeo remotas, ut carnes quorumvis fere animalium sæpiissime crudas comedant. De Tartaris constat, quod carnes non tantum felium, canum, & equorum, (quorum cruda intestina inter lautiora numerant) devorent, sed sanguinem etiam eorum avidè bibant. De Groenlandis pariter legimus, quod materfamilias, cutem occisæ Phocæ detrahens, frustra carnis recentis, quin & adipis, ut cupidias, adstantibus porrigat spectatricibus, quæ cruoris etiam portionem hilariter bibunt (a). His autem barbaris dantur adhuc alii multo ferociores, scilicet antropophagi, quorsum inter alios referimus Kalmuckos, qui crudas corporum humanorum partes, ephippiis alligatas secum ferunt, easque tales devorant (b). Alimentis horum populorum congrui quoque perhibentur mores, tales scilicet, quales sunt, qui pravæ philantiæ, stupidæ ignorantia, aut necessitati Physicæ, suam debent originem. Plerumque igitur mores, vel adeo sunt simplices, ut ab eis habitibus, quibus domestica animalia, canes imprimis, alluesieri possunt, parum differant, alii vero ita efferati, quasi humanitatis sensum amiserint, quod de Antropophagis præcipue valet, in quodvis truculentia genus pronissimis. Docent quoque annales, quosdam fuisse, ferinam indolem adeo non dedignatos, ut exuvias, horrendis bestiis detractas, vestimentorum loco corpori suo ita adaptaverint, ut belluam ab homine internoscere haud facile possent alii.

(a) vid. *Dav. CRANZII Descript. Groenlandiæ p. m. 188.*

(b) vid. *Cel. HYLLENI Dissert. de Antrophagis.*

§. VI.

Multum quidem, ceu modo vidimus, in mores influunt alimentorum qualitas, quos eorum quantitas non minus afficit. Sicut enim omnia in hoc mundo sapientia Divina optimo disposuit ordine; ita quoque tam in cæteris negotiis, quam in cibo & potu sumendo certum observandum esse modum voluit; quem, quam bruta animantia, instinctum naturæ sequentia, raro migrent, quanto magis eum observabit homo, & eodem instinctu & insuper sana ratione ductus. *La Nature*, ita quidam ex Recentioribus scribit: *a déterminé la quantité des alimens que nous devons prendre, par le degré de chaleur & la capacité de notre estomac (a)*. Qui igitur non plus cibi & potus quavis vice sumit, quam corpori nutriendo & viribus reficiendis sufficiat, eos ita facile concoquit, ut nihil indigesti remaneat; quo quidem modo sanitati sua constat integritas, si ceteræ præterea regulæ Diæticæ non negligentur; quod non quotidiana tantum experientia, sed effatum etiam Regis CYRI, si testimonium postuletur, comprobatur. Ita autem hic apud XENOPHONTEM: *Do primum operam, ut nunquam me nimium expleam, deinde ut in ventrem demissa bene digeram; hinc est, quod semper valeam (b)*. Mediocritas igitur cibi & potus æquabilitatem, robur & oblectamentum in animum inducit, adeo ut homo officia sibi injuncta libenter & hilariter præstet. Quam in rem eleganter pro more suo disserit Cel. GELLERT: *Mit dem Genusse der Gesundheit sind große Vortheile verknüpft. Das Gefühl gesunder Kräfte giebt Mutb zu Unternehmungen, erleichtert die Last der Arbeiten, macht, das wir die Gefahren nicht scheuen und unter den Hindernissen unsrer Absichten nicht zu früh ermatten. Ein heitrer Geist, ein frober Mutb, ein geselliges Herz sind gern Freunde der Gesundheit. Der Ge-*

B sun-

sunde kann seine Wohlfart und dem Glücke der Welt mehr nützen, tausend Ungemächlichkeiten, unter denen der kränkliche erliegt, gelassen ertragen, der Durstigkeit durch fleiß leicht entgegen etc (c). Unde appareat, causam bonorum morum proximam, qua partem quidem esse hominis sanitatem, remotam autem mediocritatem, in cibo ac potu servatam.

(a) *vid. Libr. Les moeurs inscript. p. m. 245. (b) vid. XENOPH. Histor. Libr. I. p. m. 32. (c) vid. Moraliſche Vorlesungen, T. I, p. m. 270. 271.*

§. VII.

Sicut ad bonos placidosque mores præcipue confert mediocritas; ita eos plane pervertit immoderatus cibi ac potus usus, quod de utroque seorsim ostendemus. Si homines essent contenti aqua pura vel lacte aqua diluto, excessus quidam in potu non existeret; siti enim sedata, neuter potus in palato relinquit stimulum, quo quis ad plus potandum sollicitaretur. Postquam autem hominum industria reperit artem, ex arborum fructibus & ex frumentis varia sibi parandi potulentorum genera, quibus & palatum suaviter afficitur, & calor corporis vitalis augetur, multi eisdem non ad necessitatem, sed ad voluptatem, fruuntur. Absit, ut contendamus, potulenta hæc, rite parata, in se esse noxia; non enim eorum usum, sed abusum ulciscitur natura, modum in omnibus postulans. Bene omnino nobiscum agitur, quod spirituosâ potulenta venas ingredi nequeant, quippe quæ eas ita extenderent, ut eas disrumperentur; copiose tamen sumpta graviter afficiunt partes corporis & fluidas & firmas, illas inspissando, has autem rigidiores reddendo, & præmaturam senectutem ita accelerando (a). Ex his porro avidè haustis in corpore oritur æstus,

æstus. & nervorum vehemens agitatio, ex qua deinceps violentæ humorum ac sanguinis commotiones existunt; unde impetuosi debacchari incipiunt affectus, contra rationis imperium se efferentes, nec hominem sui satis compotem esse sinentes. Docet igitur multiplex experientia, per frequentia vini pocula corpus debilitari, ingenii aciem obtundi, memoriam torpescere, hominem sensuum suorum impetu abripi, natura mansuetum in ferinam adeo transformari indolem, ut cum sobrius graviores haud diffi- culter concoqueret injurias, vino inebriatus ad liberius quodvis aliorum dictum aut frivolum gestum ita excan- descat, ut contumelia, ex sua opinione accepta, sangui- nis tantum lixivio ablui possit. Præcipua igitur talium belluonum cura huc redit, ut suæ inserviant gulæ; qui igitur alia officia vel præpostere vel negligenter præstant. Hoc vinolenti furoris impetu actus ALEXANDER, geniales mensas propinquorum & amicorum sanguine adpersit, & quem non conferta toties cum Barbaris prælia, non viarum ac tempestatum incommoda, non fluminum & marium ingens vastitas, non ipsa rerum natura fran- gere potuit, illum invictum Herculeas fati Scyphus suf- focavit. Maxime vero in quasvis libidines despumat vi- nolentia; quare etiam VALERIUS MAXIMUS observavit: *Proximum a Libero Patre intemperantiæ esse gradum ad vene- rem inconcessam* (b), & veteres perhibuerunt poetæ; Ulyssis socios per Circeæ pocula in belluas fuisse commu- tatos.

(a) Vid: Dan. LANGHANS Libr., von dem Lasteru, die sich an der Gesundbeit der Menschen selbst rächen u. s. w. p. 12, seq. (b) Libr. 2, Cap. 1.

§. VIII.

Sanæ etiam corporis constitutioni & bonis proinde moribus præcipue officiunt superflua ciborum strues, rariorumque epularum ambitiosa affectatio. Stomachus enim alimentorum diversissimorum copia iterum iterumque obrutus, suo amplius muneri vel rite non vacat, quo casu multa relinquuntur indigesta, quæ tormina excitant, externis tormentis sæpe acutiora, vel si assumtas aliquamdiu concoquit dapes, corpus evadit crassum & obelum, atque naturalis membrorum agilitas præ pinguedine imminuitur. Hinc oritur torpor, qui facit, ut gulosi in somnum nimis propendeant, non noctes solum, sed magnam quoque diei partem ei impendentes. Corpore autem per ingluviem ita male affecto, animus etiam suo veluti fulcro destitutus, sensim sensimque ita languescit, ut resurgere & ad industriam se accingere homo negligat, satis habens, si a malis absteineat actionibus, officia, quorum præstatio curas & labores postulat, aliis, quibus suam curare cuticulam fortuna denegavit, relinquens. Longius adhuc frequentium comestationum serpit malum, quod non solum impedimento est in officiis præstandis, sed bonos insuper mores valde corrumpit. Ex alimentis enim opipare paratis & copiose ingestis vehemens in sanguine & aliis fluidis partibus oritur motus, qui affectus excitant, animi & corporis facultates quasi sufflamantes, novum ac naturæ ignotum habitum inducentes, hominemque ita corripientes, ut in foedissimorum vitiatorum devia eum trahant præcipitem. Incestæ præcipue mentis libido & petulans protervitas sagina corporis augetur; stimulant enim lumborum ex copioso & nimis condito cibo humores, unde affecta tentigine natura in venerem
 pru-

prurit ardentem. Ab alia rursus parte cernere licet quosdam, exquisito victus generi tantum statuentes pretium, ut, conscientiae suae morsus haud reformidantes, in muneribus suis venales se praebant, ac omnia in suum vertant quaestum, ne luxuriae fons aliquando exarescat, & suae gulae deesse cogantur. Si vero periculum subroti census certum immineat, vitae fruitionem consuetis fercularum apparatusibus postponentes, suum fatum nefariis antevertunt modis (a). Imo dantur Eruditi, qui ex diversis alimentorum generibus, quibus aliae aliaeque Nationes vicitant, diversos earum mores & characteres, rationibus valde probabilibus nixi, deducere satagunt (b). Sed plura, ad praesentis argumenti illustrationem pertinentia, in medium afferre, rerum mearum habitus non permittit.

(a) Vid. MICHAELIS *Mosaïsches Recht* Tom. VI. §. 272, p. m. 13. (b). in hac re praecipue consulatur DAN. LANGHANS in *Libro. mem.* p. 133. seq.

S. D. G.

